

# EPICEDIUM EXEQUIALE

FUNUS HEROICUM <sup>AD</sup>

Reverendissimi & Excellentissimi

DOMINI

# D. JODOCI MAURITII

LIBERI BARONIS DE DROSTE,

In SENDEN.

Excelsi Ordinis Teutonici Equitis, Archicomendatoris Balliviæ Confluentinæ, &c.

*Sub Titulo:*

## ATHLETA CHRISTI

## DORMENS

## IN PACE\*

PARENTANTE NOBILISSIMO

Splendidissimóque omnium Dignitatum, Ordinum

atque ætatum coetu,

EX ORDINATIONE ILLUSTRISSIMORUM DD. EQUITUM,  
COMMENDATORUM, BALLIVIÆ ADMINISTRATORUM  
pro Concione fusum

In Templo Commendariæ

S. CATHARINÆ,

Colonia Agrippinæ ad diem X. Septembris

M D C C L I V.



E P T H A P H I V M E Q U E S T R E .

Quæ tractavit EQUES quondam feliciter Arma,  
 Nunc eadem Tumbam splendida Signa decent.  
 Jam frustra prohibes fieri JODOCE ! Trophæum ;  
 Hoc, voluit Pietas, ut statuatur Opus.



Ignorat Virtus , ignorat Gloria metam ,  
 Quin Laudem à sera posteritate ferat ;  
 Eheu ! DROSTIADUM mutantur Scuta Baronum :  
 Candida quæ fuerant , nunc dolor atra facit .

Deo Opt. Maximo Gloria!  
B. V. MARIAE in Jerusalem Honor,  
Piis Manibus Requies sempiterna,



**N**on foro Mortis nullæ sunt feriae mellium, quin ipsa passim feriat, promiscue inferias instruat, & mortalium cadavera, velut papaveræ, demeat. Anno Xti MDCCLIV. mense Augusto, intra ferias, octava Jovis, an Vejovis, dies erat illa fatalis ac feralis, quâ in Vesperam inclinante, Lunâque plenâ jam decrescente, ter de fenestra Castri MORSBROCHII ad Dunam Fl. siti, ter inquam, funestum proclamavit Præco: concludatum est: Corpus depositum, lotum, unctumque est: verbo vixit, obiit, abiit.

**REVERENDISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS  
DOMINUS,**

**D. JODOCUS MAURITIUS,**  
**LIBER BARO DE DROSTE in SENDEN,**  
Excelsi Ordinis Teutonici Eques, Archi-Comme-  
dator Liberæ Imperialis Balliviæ Confluentinæ, Com-  
mendator ad S. Catharinam Coloniæ, Dominus Libe-  
ræ & Exemptæ Imperialis Dynastiaæ in Elsen, nec non  
in Herrnmulheim & Oedinghoven, &c. Reverendissimi & Serenissimi Principis Electoris Colon. CLE-  
MENTIS AUGUSTI, utr. Bavariæ Ducis, Supremi  
Administratoris Borussiæ, altè fati Ordinis Teutonici  
per Germaniam, Italiam, Partesque transmarinas Mag-  
ni Magistri, &c. Consiliarius actualis Intimus.



Heu! præcucurrit Eques Teutonicus, pedestri Oratori  
nano non assequendus: abiit Commendator Provin-  
cialis in orbem universum summo elogio commendan-  
dus: obdormiit Miles paludatus, galeatus, cataphra-  
etus, undique CHRISTIANUS, sed morte BEATO-  
RUM, morte Senui, cælesti ramen Viatico, ad iter lon-  
ginquum confirmatus, sine ullo majore impulsu (calculi dolorem exce-  
ris )

ris) intra dies paucos, cùm implèset annos grandevæ ætatis LXXXVII. menses IX. dies XXIV. discessum animi à corpore vix sentiens, tranquillissimè conquevit.

Quid reliquum? ex tot Titulorum, Dignitatūmque possessione ad Tumulum efferendæ sunt Reliquiæ; elapsis igitur feriis ad Inferias iterum proclamat præco: *Exequias JODOCO MAURITIO, Equiti, Commendatori, Socio, Patrono, Parenti, Viro Optimo libentes facite, quibus ire commodum est; jam tempus est: Ollus efferatur.* Duri tenoris horridum programma!

Auditâ hâc Tubâ, itur ad Tumbam; adsunt Illustrissimi Baliviæ Administratores, Commendatores, Capitulares, Equites, Presbyteri, Officiarii, Summi Infirmique Civitatis ac Provinciæ. Indicâ die X. Septembris, descripto Ordine, Funus Equestre longo plantearum tractu conducitur & ad Templum Sanctæ CATHARINÆ reducitur.

Agmen claudente Turba pauperum & miserabilium personarum, tanquam Beneficentissimi Parentis jacturam haud fictis lacrymis collugentium.

Luctuosâ hâc pompâ Funus sublime è Domo Commendataria, jam in annos L. possessa, loco ante fato repositum non sine mœrore cer nimus. Ità potenti Justitiæ, ità fatorum Arbitro supremo, ità Parcis placitum fuit, ut actâ seculi hujus scenâ ultimam perageret catastropham Reverendissimus & Excellentissimus noster JODOCUS MAURITIUS, ATHLETA CHRISTI & B.V. MARIÆ in Jerusalem, Teutonicorum nuncupatæ, Miles, inquam, Strenuissimus, ritè initiatus, professus & consummatus, qui ætatem, hoc ævo raram attigerit, grandiore, ut consequeretur, dignissimus fuit.

Barbararum gentium, Thracum ac Scytharum mos esto, Natales hominum flebiliter, Exequias cum hilaritate celebrare; nos verò Christiani, contrarium factitantes, super funera Christianorum plorare, piisque Defunctorum Manibus requiem implorare sapientius edocti sumus, maximè eorum, qui corpora quidem naturæ necessitati reddiderunt, virtutum verò suarum memoriam benedictam & immortalem reliquere.

Etsi nemo forte in amplissimo hoc comitatu, ob ætatem meminerit, magni hujus Militis adolescentiam ac Tyrocinium, cùm olim Episcopi Monasteriensis, postea Electoris Palatini, denique Batavorum matrem, copiásque fœderatas sequeretur, ante annos animūmque gerens, curámque virilem, quam tunc animō promptō & indelassatō didicerit parere,

parere, ut aliquando sciret imperare, classem in figuram strategicam disponere, ut olim præpositus justo ordine rem conficeret, Mauritii Imperatoris exemplo Infidelium ordines confusos dejicere, adversantium facies ferire, acies prosternere intelligeret; nec mirum: SCUTO enim Candido, quod à gentis suæ Majoribus hæreditarium acceperat, nullam degener maculam recordiæ aspergere, hostili autem sanguine cruentatum rubefacere pertinaciter cupiebat.

Pauci etiam erunt, qui Ipsum Anno MDCLXXXXV. ad Kal. Martias, Coloniæ viderint sacro Baltheo, cruce aureâ, pallioque candido, solemniter investitum, ac post ternos fletus parazonio & calcariis inauratis accinctum, Sacramento edito, pro fide Christi & Christianorum Religione defendenda palam jurasse.

Plurimi certè zelum ejus pro cælo non ignorant; quid, quantumque pro cultu divino augendo, restaurandoque præstiterit, difficile est, seorsim narrando persequi: vel ipsæ aræ, cathedræ, templorumque lapides, ut ut elingues sint oratores, affatim eloquuntur, atque organa passim personant; Vos in primis Ecclesiæ in Elsen, Elskens, Welchenberg, Neurath & Schlebusch beneficiorum acceptorum obliviisci nullo ævo, poteritis. Tu quoque Beati GEZELINI Capella, ante cujus fores, cum valetudinis causâ intrare non posset, ex cœdo suo, jam agoni ultimo propinquus sacram audivit Missam, benefici Promotoris tui restem & nunc & serò ages.

An nihil de Charitate erga proximum meminerim? omnes, inquit Homerus, diis indigent homines; Ipse Deorum administer sublevabat multorum indigentiam; sed hi gazam Evergetæ suo comparabant futuræ felicitatis, pretium pecuniæ precibus fusis compensantes; hanc Virtutem laudant Asceteria utriusque sexus tam intra, quam extra Urbem posita; hanc confirmant Legata in usus pios fundationum ac Fraternitatum relata; nec minus erga familiam, Domesticos, omnésque Suos manum largam aperuit, profusus in alios, sibi parcus, vietu cultuque temperans; recteque aestimavit, honestum esse ac nobile continenter, severè, sobrièque vivere, considerans, ad valetudinem tuendam patēta sufficere, cupiditatem verò, voluptatēmque non satiari maximis; huc pertinet illud M. Tullii paradoxon: *O dñi immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit Parsimonia.*

Infinitam nexuero catenam, ab hoc Feretro ad fines Palestinae tendente, si Virtutes *Christiani* hujus *Athletæ* enumerare singulas connumerar : animo ejus inerat moderator cupiditatis pudor : inerat ad humanam societatem fides & justitiae custodia, in perpetiendis laboribus eximia fortitudo, erga Illustrissimum Ordinem devotio peculiari, in ambiguis cunctatio, in difficillimis rebus tolerantia, in moribus severitas, non acerbitas. Pro scenis, choreis, spectaculis ac quovis lusu præplacebat in palestra Equus agilis, in silvis venabula, in campo canis venaticus ; illa illa sunt, ajebat, quæ nobilem ludendi materiam abunde suppeditant ; cæterum splendidus erat hortis, stabulis, tapetiis, supellestilibus, auro argentoque factis, sed exemplo Manilii Curii, nihil in villa splendidius, nihil in domo ornatus fuit, præter Ipsum.

Sic Liber erat, & educatus liberaliter, ut ne nomen nōset servitutis illius, quæ dicitur obedientia fracti animi, & arbitrio carentis suo. Uti ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, ita ad intelligendum & agendum natus est homo, quasi mortalis Deus ; at non sibi soli se natum meminerit, sed Patriæ, Amicis & Suis ; hanc Ciceronis, *de finibus Bonorum & Malorum* dissentis doctrinam primū Adolescens, cum Vir, tum Senex percalluit, nullaque non occasione executus est ; erubescendum igitur non putavit, si privilegio, quod vocant, Senioratus, in Capitulis, in multorum congressibus, in Comitiis Provincialibus vocem Cæsaris Augusti intrepidè usurparet : Audite Senem Juvenes, quem Juvenem audivere senes. Sic Lacedæmonii, sic Romani fas esse crediderunt, uti quisque ætate antecederet, ita sententiæ principatum teneret. Quanto intervallo amor Patriæ, affectiōque erga Bonum publicum animos Heroum supra reliquos mortales attollit, diisque pares efficit ! Dynastias, & Commendarias suas æqualiter, Balliviam suam Confluentinam insigniter colebat, universum verò Ordinem, ceu communem Patriam diligebat : hanc pro ara & focis habebat : huic omnes vitæ rationes consecrabat : hanc omni loco & tempore tuendam, ornandam, ampliandamque suscepserat, Jurisjurandi, quod ante annos sexaginta, die solemnis professio-  
nis CHRISTO, & Divæ Virginis MARIÆ in Jerusalem, Teutonico-  
rum Equitum Patronæ sacrum dixerat, nunquam & nusquam imme-  
mor.

Iis fultus præsidiis felicitatem Statūs Oeconomici, juxtaque publi-  
ci non solā pecuniâ metiebatur, ac sustentabat ; sed tum opes possidere  
tutis-

tutissimas, & pulcherrimas sibi videbatur, si eas Deo, sanctæ Matti, Ordini, Patriæ & Immunitati Ecclesiasticæ in censum arrhamque collocaret, exponeret, donaret, allaturas talentum pro talento, sortem pro sorte; sic decimare mentham & rutam, simul operando charitatem, laudabilis usura est; Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem! in tam sanctas usuras intentus thesaurizabat divitias nunquam perituras, sed in præmium æternæ felicitatis præparandum destinatas; quare idem Athleta noster Christianus hæc in verba erumpebat: quid Galæa pinnata, quid parazonium, ocreæ, calcaria, phaleræ, quid universa Illustrissimi Ordinis armatura profunt, si socordiâ inglorius latitarem, si in otio parta consumetur? Paulum sepultæ distat inertiae celata virtus; omnes igitur cogitationes, curasque omnes pro augendo Christi latifundio, pro splendore Ordinis, pro conservando rerum nervo in tempus necessitatis orituræ referebat, semper laboriosus, fortis, magnanimus, secundis incorruptus, adversis indelassatus; neque magis fortunæ muneribus, quam prudentiæ characteribus delectari gloriosum existimabat.

Finem faciamus dicendi, non dolendi; quanto enim plura commemoro, tanto restant ampliora; quare hujusc loci, temporis ac monumenti religione monitus abrumpo Lessum, metuens, ne & vestrâ, Parentatores modestissimi! patientia abutar, magis autem prætimelcens, ne ipsa Emeriti ac Veterani Herois Umbra, non nihil reducâ casside vultum proferens minaciter increpet: nolo istas pompas: nolo honores posthuinos; satis esto mihi parvum Epitaphium, quod vivens ipse posui, curans aetheræ, non catera.

Tot ergo tantisque armatus Virtutibus Miles, Eques & ATHLETA CHRISTI festinabat sursum in Patriam, in Jerusalem, Civitatem sanctam, ubi mors ultræ non erit, neque luctus, neque dolor.

Nunc Palestinae civitas, Accaron expugnata est; viceit Christus, triumphavit Christus, & Miles ejus Antesignanum Ducemque fideliter secutus, post legitimum certamen, cursumque consummatum, coronam gloriæ consecutus, sui desideriô nobis relicto, excessit,

Silete nennia, silete Tubarum clangores obtusi ! parentatum fatis;  
dimitenda concio est ; Jam extremum inclamat Praeco antiquam vale-  
dicendi formulam :

**I**LICET. EXEQUIÆ. ACTÆ. SUNT.

LESSUM. LASSI. DISCEDITE.

**E**XCELLENTISSIME. JODOCE. MAURITI.

ÆTERNUM. VALE.

NOS. TE. ORDINE.

QUO. NATURA. JUSSERIT.

CUNCTI. SEQUEMUR.

**A**THLETA. CHRISTI.

**D**ORMI. IN. PA CE.

Hæc Funebris adornari curârunt Illustrissimi altefati Ord. Teut. Equites, &  
Commendatores D.D. FRIDERICUS CHRISTIAN. L.B. DE MEN-  
GERSEN in RHEDOR, ac D. IGNATIUS, COMES de WURM-  
BRANDT, quæ Administratores.

### *STATUA MARMOREA EQUITIS CHRISTIANI*

In Lævam cubantis ad Viatorem.

Pro causa Christi vigilavi Iustra bis octo;

Dormio nunc, positâ casside, lassus Eques,

Tu mea, per Christum, post fata precare Viator !

Ossa tegat Marmor : Spiritus astra petat.

### *AD CRUCEM NIGRAM.*

Excelsi Ordinis Equitum Teuton. Insigne.

*In hoc Signo vinces.*

Militiam Christi validè pugnando securus,

Viatorum sequitur post Sacra Bella Dueem.

**NIGRA** licet fuerit, **CRUCIS** est fiducia **NIGRÆ**;

Viator in hoc Siglo grande Trophaeon habet.

Quis dubitet ? noster Nonagenarius Heros

Præmia jam rapuit Diribitore Deo.



Silete nánix, silete Tubarum clangores obtusi ! parentatum fatis ;  
dimitenda concio est ; Jam extremum inclamat Præco antiquam vale-  
dicendi formulam :

ILICET. EXEQUIT. ACTÆ. SUNT.  
LESSUM. LASSI. DISCEDITE.

EXCELLENTIS. MAURITI.

ÆT.

NON.

QUO.

CUNC.

ATH.

Do.

Hæc Funebria adornari  
Commendatores D.D.  
GERSSEN in RHEE  
BRANDT, quæ Adi-

STATUA MARM.

In Lævam

Pro causa Christi vi-

Dormio nunc ,

Tu mea , per Chri-

Offa tegat Mari-

AD CI

Excelsi Ordin

Militiam C

Victor

NIGRA lic

Victor

Quis dubit

Præm

**TIFFEN® Color Control Patches**

Centimetres  
Inches

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

